UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Antoninus Diana Panormitanus, Clericus Regularis, Doctor Celeberrimus, Coram S. D. N. Alexandro VII. Episcoporum Examinator, & Sancti Officij Regni Siciliæ Consultor, Coordinatus, Seu Omnes ...

Diana, Antonino

Lugduni, M. DC. LXXX.

26. An Confessarius Regularis ab Episcopo aprobatus, sed prohibitus à Prælato Regulari, sit, hoc non obstante, per Bullam ad confessiones audiendas eligibilis, quod dependet ex illa quæstione, an ...

urn:nbn:de:hbz:466:1-76369

Visual Library

RESOL. XXVI.

An Confeſſarius Regularis ab Epiſcopo approbatus, ſed prohibitus à Prælato Regulari, ſit hoc non obſtante, per Bullam ad confeſſiones audiendas eligibilis, quod dependet ex illa quæſtione, an Religioſus, qui obtinuit ab Epiſcopo licentiam audiendi confeſſiones, poſſit ſine licentia ſui Prælati confeſſiones audire?

Et in dicto caſu Regularis Confeſſarius, qui ſine licentia ſui prælati confeſſiones accipit, an peccet mortaliter?

Et an ſupra dictus Confeſſarius poſſit abſoluere pœnitentes ab illis caſibus, à quibus abſoluere poſſunt Regulares ex vi priuilegiorum Religionis? Ex part. 1. tract. 11. Reſ. 13.

Sup. hac quæſt. & doctr. huius & duorũ §§. ſeqq. ſup. in Reſ. 22. §. vlt. in princ. & inf. in tr. 4. Reſ. 5. per tot. & in to. 7. tr. 1. ex Reſ. 121. lege doctr. §. 1.

§. 1. RESolutio huius caſus, vt benè notat Ledeſma, *vbi infrà*, pendet ex illa quæſtione, An Religioſus, qui obtinuit ab Epiſcopo licentiam audiendi Confeſſiones: poſſit ſine licentia ſui Prælati Confeſſiones audire?

2. Aliqui negatiuè reſpondent: ita Angelus, quem refert Adrian. *q. 1 de Confeſſ. dub.* 1. & alij neoterici. Et inter alias rationes, quas adducunt, præcipuè eſt iſta: quia Epiſcopi conferunt talem poteſtatem dependenter à propriis Prælatis præſentantibus Religioſos ipſis Epiſcopis: ergo ſine tali præſentatione nulla erit expoſitio.

3. Sed affirmatiuam ſententiam ſemper ego conſului. Dico igitur cum Pitigiano *in 4. ſent. tom. 2. diſt. 17. q. vnic. a. 4. dub.* 1. Nugno *in addit. ad 3 p. tom. 2. quæſt. 8. art. 5. dub.* 8. Salas *de leg. diſp. 16. ſect. 10. n. 43.* Angles *in 4. de Confeſſ. art. 8. diff.* 1. Ioan. de la Cruz *de ſtat. relig. lib. 2. cap. 6. dub. 2. concl.* 2. Homob. *de exam. Eccl. p. 1. tract. 5. cap. 2. q. 15.* Villalobos *in ſum. tom. 1. tract. 9. dub. 50. num.* 4. Miranda *in Man. Præl. tom. 2. quæſt. 45. art. 11. & 12.* & aliis, Regularem non inſtitutum Confeſſarium à ſuo Prælato ſola Epiſcopi authoritate poſſe audire Confeſſiones; & validum conficere Sacramentum quia talis Sacerdos habet poteſtatem Ordinis, & iuriſdictionis: ergo valida erit abſolutio.

Quoad hoc ex Reſ. 3. not. præteritæ lege ad med. §. 1.

4. Reſtat modo videre, an peccet mortaliter, quia ſine licentia ſui Prælati Confeſſiones excipit? Aliqui ex ſupra citatis, quos nouiſſimè ſequitur Peregrin. *in comm. ad noſtras Conſtit. p. 1. cap. 5. §. 5.* affirmatiuè reſpondent. Sed rectiùs Molfeſ. *in ſum tom. 1. tract. 7. c. 14. n. 87.* & Megala *in 1. p. lib. 1. c. 15. num* 8. cum aliis, putant hoc determinandum eſſe ex vi ſuarum Conſtitutionum, quæ, ſi ad mortale obligant, mortaliter talis Confeſſarius peccabit; ſi ad veniale, tantùm venialiter ideo in illa Religione, vt eſt Societas Ieſu, & noſtra, & aliæ, in quibus Conſtitutiones non obligant ad culpam, Sacerdos ſic abſoluens non committeret peccatum mortale.

Sup. hoc in Reſ. 1. not. primæ huius Reſ. & in eodem §. vlt. in fine.

5. Notandum eſt verò, dictos Confeſſarios non poſſe abſoluere pœnitentes ab illis caſibus, à quibus abſoluere poſſunt ex vi priuilegiorum Religionis: quia non habent licentiam audiendi Confeſſiones à Prælatis dictæ Religionis. Supereſt modò reſpondere ad argumentum contrariæ ſententiæ. Dico igitur, quòd, cùm Epiſcopus poſſit, ſimpliciter loquendo talem poteſtatem conferre non eſt intelligendus, quod conferat cum illa limitatione, niſi expreſsè illud ſignificet: nam, ſi Epiſcopus conferat facultatem, ſecundùm diſpoſitionem propriæ Religionis dicens, quod tantùm valet, ſicut in Regulis Religionis ſancitum eſt; & Religioſus excipiat Confeſſiones præter ordinem ſuæ Regulæ; nulla eſt abſolutio. Sed Epiſcopi non ſolent in dimiſſoriis hanc limitationem ponere. Ergo, &c. Circa præſentem quæſtionem vide Fagund. *tract. 2. lib. 7. c. 3. num.* 32.

6. His ſuppoſitis, reſpondeo ad quæſtionem principalem Confeſſarium approbatum ab Epiſcopo, & non à ſuo Prælato, vel à ſuo Prælato ſuſpenſum, eſſe eligibilem per Bullam Cruciatæ, quando non habeat alios defectus: & ita docet Ledeſma *in ſumm. tom. 1. tract. de Pœn. c. 13. dub.* 12. Acoſta *in expoſ. Bull. q. 41. per tot.* & alij.

RESOL. XXVII.

An Regulares poſſint virtute Bullæ Cruciatæ eligere Confeſſarium extra Religionem?

Et an Nouitij virtute Cruciatæ poſſint eligere Confeſſarium extra Religionem?

Et quid eſt dicendum de confeſſione, & Decreto Gregorij XIII. anno Domini 1575. die 23. Maij, ne perſonæ Societatis Ieſu abſque expreſſa Superioris licentia vti poſſint facultate Iubilæi, aut Bullæ Cruciatæ in confeſſionalibus, &c? Ex p. 3. tract. 2. Reſ. 94.

§. 1. CIrca reſolutionem huius quæſtionis remitto me ad ea, quæ dixi *in tract. de Bulla Cruciatæ* * *reſol.* 14. tantùm hîc addam, duos Authores, præter ibi citatos, qui abſolutè negatiuam ſententiam docent & hi ſunt Hieronymus Rodriquez *in compend. qq. Regul. reſol 3. num.* 24. & Aſcanius Tamburinus *de iure Abbat. tom. 2. diſp. 6. q. 7. num.* 1. qui tamen malè aſſerit *in q. 6. n.* 11. Nouitios virtute Cruciatæ non poſſe eligere Confeſſarium extra religionem, nam hoc interdictum eſt ſolis profeſſis.

2. Nota etiam hîc, quod Greg. XIII. anno Domini 1575. die 3. Maij, conceſſit ac decreuit; ne perſonæ Societatis Ieſu, abſque expreſſa Superiorum eorumdem licentia, vti poſſint facultatibus in Iubilæis, aut Bullis Cruciatæ confeſſionalibus, aut aliis quibuſcumque Apoſtolicis indultis, quomodocumque hactenus conceſſis, & in poſterum concedendis: & declarauit præterea poſſe Superiorem; dum huiuſmodi licentiam concedit, limitare eam ad vſus vnius, aut alterius facultatis, & prohibere vſum reliquorum, etiam in eadem Bullâ, aut indulto, contentorum; & hæc omnia habentur *in compen. eiuſdem Societ. tit. gratiarum vſus*, §. 2. quo quidem priuilegio docet Tamburinus *de iure Abbat. tom. 1. diſp. 16. quæſt. 9. num.* 1. vti poſſe omnes Religiones per communicationem, vide etiam Bullam nouiſſimam Vrbani VIII.

RESOL. XXVIII.

An Regulares ſine licentia ſuorum Prælatorum virtute Bullæ Cruciatæ poſſint eligere Confeſſarium, vt illos à peccatis, & cenſuris reſeruatis abſoluat?

Et an ſaltem per Bullam Cruciatæ Regulares poſſint abſolui à peccatis mortalibus non reſeruatis, & hoc toties, quoties?

Et an regulares poſſint etiam abſolui à peccatis reſeruatis per Confeſſarios deputatos, & approbatos ab eorum Prælatis ad eorum confeſſiones audiendas?

Et an licitum ſit Religioſo ſine licentia Prælati procurare pecuniam pro Bulla ſumenda, dummodo non tranſeat in eius poteſtatem, ſed vt amicus, qui dat pecuniam, ſumat illam ſuo nomine? Ex part. 1. tractatu 11. Reſ. 14.

§. 1. NEgatiuè reſpondetur communiter. Ita Llamas *in ſumm. p. 1. c. 5. §. 8. & ſeq.* Vecch. *in praxi Nouitiorum, diſp. 9. dub. 3. num.* 7. Coriol *de caſreſer. p. 1. ſect. 3. art.* 14. Portel. *in dubiis regul. verb. Bull.*

Cruc.

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK PADERBORN